



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CLVI. Argumentum. Invehit hæc Decisio contra Calumniatores; & quia plurimùm calumniæ prodeunt vel à Forensibus, vel ab Aulicis, de his præcipue agitur, juxta numeros sequentes; videlicet: 1. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

ea super dorsum meum, nolens ea videre, ut pro illis doleam, vel plangam. Et ecce pauca hac delicta fratrum meorum ante oculos meos posui, & crucior in ipsis, condemnans fratres. Sed non oportet sic judicare: sed magis ante me adducere, & de ipsis cogitare, & rogare Deum, ut indulgeat mihi. Menochius *dict. Histor. Miscellan. part. 3. §. 58.* ex Rufino de *Viris Patr. num. 136.*

13. Ideo inculcandum, quod spoliabitur omni justitia, & virtute homo ille, qui non custodiet ostium laborum. Sicut Urbs patens, & absque murorum ambitu: ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. *Prov. 25. 28.*

14. Advertendum, quod qui ex habitu detraxit proximo, semper est in immunditia peccati: nam Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit. *Num. 19. 15.*

15. Et ex detractioe oriuntur criminalitates, quaestiones, & ruinæ domorum. Si invicem morderis, & comeditis: videte, ne ab invicem consumamini. *Gal. 5. 15.* Siquidem: Qui custodit os suum, custodit animam suam. Qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. *Prov. 13. 3.*

16. Frequenter referenda exempla iræ Divinæ contra murmuratores, & detractores famæ proximorum. Quia murmuravit Maria Soror Moysis adversus eum, apparuit candens lepra quasi nix. *Num. 12. 10.* Quia Israelitæ Murmuraverunt in tabernaculis suis: Deus elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto. *Psal. 105. 25.*

17. In Vita S. Arnulphi Episcopi Metensis die 16. Augusti apud Bollandum legitur, Noddonem hominem scelestum obtrectasse, & detraxisse famæ ejusdem Sancti Episcopi, dicendo, ad eum noctu Reginam properare sub prætextu consiliorum ad malum finem. Sed alio dormiente cum detractore, flamma divinitus immissa omnia illorum vestimenta corripuit. Aquam expetunt, sed injecta nil juvat. Ardebant acriter circa nates, & verenda interula detractorum, nec poterant illas exuere. Exiliunt foras, & instar porcorum in luto sese vociferantes volutant; sed magis, magisque in eorum membra genitalia ignis sævit, ut sic justo Dei judicio illis in locis poenas luerent, de quibus Sanctum Virum sua obtrectatione infamare voluerunt. Bagattam *Admirand. Orbis Christiani tom. 1. part. 2. capitul. 1. §. 12. numer. 9.*

18. Memorabile illud exemplum proderit narrasse, quod habetur in Chronicis Sancti Francisci 26 *part. 2. libr. 8. capit. 28.* De Sancta Elisabeth Regina Portugallie, cujus Celliotam, ob Dei timorem, quem præferebat, Regine gratum, Aulicus detractor apud Dionysium Maritum, & Lusitanum Regem falso criminaverat, tanquam impure dilectum. Hac Rex detractioe agitatus, transiens penes ardentem fornacem, calcariis ad se vocatis secreto jussit, ut quem crastina die ad eos misisset cubicularium, statim comburendum in fornacem mitterent. Mane sequenti Rex vocat ad se innocentem Regine Celliotam, eique mandat, ut ad prædictos calcarios iret, qui statim paruit: sed Deo illum protegente, ante Ecclesiam transiens, signo Missæ intellecto, ingreditur, & tres, unam post alteram, Missas audit. Interim Rex sui præcepti executionem scire cupiens, viso detractore, eundem ad fornacem milit, ut peteret, quid actum? & sibi responsum daret. Impius accusator accurrens præcucurrit Celliotæ pio; illumque calcariis cum vidissent, juxta Regis jussu procecerunt in fornacem. Paulo post accessit, qui Missæ

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

Sacrificiis fuerat immoratus; petivitque an satisfactionem præcepto Regis? Homines illi affirmarunt, satisfecisse, quod reportavit Regi, qui stupens, & causam moræ illius, ac mortis detractoris cum scivisset, expavit Divinum judicium, & Regine Uxor, ac ejus Cubicularii innocentiam admiratus, veneratusque fuit. Alphonsus Rodriguez in *Exercit. Perfect. Christian. part. 2. tractat. 8. capit. 16.* Vere igitur Detractores Deo odibiles. *Rom. 1. 30.* quos semper vindex Deus punivit, ut aliis exemplis facile comprobabunt Animarum Pastores, & Concionatores; de quibus apud Sacros Historiographos, & Matthæoli in *Sylvapar. 1. lib. 6. tit. 48.* quorum lectione, & ferventi prædicatione proximum hoc Detractionis crimen eliminabunt.

DECISIO CLVL

ARGUMENTUM.

Invehit hæc Decisio contra Calumniatores, & quia plurimum calumniæ procedunt vel à Forensibus, vel ab Aulicis, de his præcipue agitur, juxta numeros sequentes; videlicet: 1. Quid sit Calumnia? 2. Quarum personarum proprium sit calumniari? 3. Quanta sit excellentia Advocatorum? 4. Quæ boni Advocati requisita? 5. Quæ mali Advocati fors, & obligatio? 6. Quæ peccata Procuratorum in litibus? 7. Quæ poenæ statutæ de Jure contra Calumniatores in Judicio? 8. Quæ Notariorum culpæ? 9. Quæ Aulicorum crimina? 10. Quæ Invidorum flagitia? 11. Quibus argumentis deterrendi Calumniatores? 12. Quibus confortandi calumnias patientes?

SUMMARIUM.

1. Calumnia quid sit?
2. Calumniatores fingunt zelum justitiæ. Exempla à Scriptura Sacra.
3. Calumniatorum genera tria. Et quæ?
4. Juramentum calumniæ quid contineat?
5. Aulicorum est calumniari.
6. S. Bernardus calumniis impetitus apud Innoc. II. & Eugenium III.
7. Medicus Alex. Magni calumniatus de proditione. Item alia exempla.
8. Invidia quid sit? Ex ea calumnia.
9. Invidorum calumniantium Historia.
10. Advocatorum laudes.
11. Advocatorum requisita quatuor. Et quæ?
12. Advocatus ignorans tenetur ad restitutionem clienti.
13. Doctores ignorantes peccant mortaliter.
14. Advocatus causa injusta ad quid teneatur?
15. Advocato, si causa sit dubia, quid agendum?
16. Advocati Pietas in defendendis egenis gratis.
17. Quota litis prohibita Advocatis.
18. Sportula non dabantur Advocatis Romanorum tempore.
19. Advocatorum fidelitas in quo consistat?
20. Advocati injusti finis est infernus.
21. F. Joann. de Parentibus Min. Generalis S. Francisci quomodo relicto Foro factus sit Religiosus?
22. Procuratores ad litres, quando peccent?
23. Talionis poena quid? & contra quos?
24. Notariorum requisita octo, ut boni sint.

25. Notarius quando sit excommunicatus nec absolvens?
 26. Aulici, & familiares Principum, & Prælatorum laudati.
 27. Aulicorum Vitia, Adulatio, & Susurratio.
 28. Susurratio peccatum gravissimum.
 29. Invidorum flagitia quæ?
 30. Lucifer lapsus è celo ob invidiam humana natura.
 31. Dæmones cur multi relictæ in aere?
 32. Calumniatorum pœna, ac punitiones.
 33. Calumniatorum punitorum exempla.
 34. Calumnias patientes quibus morivis confortandi?

Quo ad primum. Quid sit Calumnia? Dixerunt aliqui, esse atrocissimum persecutionis genus, quod quidem, iustitia prætextu, maximam dissimulat injuriam. Quæ verba sunt Patris Ludovici Granatæ in Concil. 1. Dom. 22. post Pent. column. 1. ubi subdit: Aperti quippe hostis persecutio dedecus, & ignominiam inferenti injuriam parit, injuriam verò leviter, & moderate patienti, gloriam, & honorem conciliat; At calumnia dissimili ratione calumnianti quidem gloriam; calumniam verò patienti ignominia notam inurit. Quisquis enim calumniator, iustitia prætextu videri vult adversus injuriam favire. Quod persecutionis genus tantò est atrocius, quantò magis sub pietatis imagine iustitiam, & pietatem oppugnat. Solent enim calumniatores simulare zelum iustitiæ, ut suam obtegant iniquitatem, & proximum opprimant. Hoc pacto Jezabel, falsis testibus adductis, lapidare fecit Naboth tanquam blasphemum in Deum, & Regem, ut ejus Vineam usurparet. 3. Reg. 21. 11. Aman, ut populum Judaicum perderet, dixit Regi Assuero: est Populus per omnes Provincias regni tui dispersus, & à se mutuo separatus, novis utens legibus, & caeremoniis, insuper & Regis scita contemnens, Esther. cap. 3. 8. Satrapæ, ut perderent Daniele, finxerunt se zelare Edicti Regii observantiam, quo solus Rex Persarum orari poterat, & Daniele calumniosè accusarunt, quòd tribus temporibus per diem orat obsecratione sua. Dan. 6. 13. Senes luxuriosi, repulsi à Susanna, falsum testimonium dixerunt adversus eam ex ficto zelo continentia maritalis. Dan. 13. 40. Et Judæi frequentes suas calumnias contra Salvatorem ficto legis motivo cooperiebant; & præcipuè coram Pilato clamantes: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Jo. 19. 17. Idem comprobabunt exempla mox alleganda. Alii ex studiosis nostris addidere; quòd Calumniari, est falsa crimina intendere, scienter, & malitiosè, studio divexandi, & infamandi. Ita deducit ex l. 1. ff. ad S. C. Turpil. l. Athletas. §. Calumniator. ff. de his, qui not. infam. Petrus Gregorius in Syntagm. Jur. par. 3. lib. 32. c. 20. n. 2.

Quo ad Secundum. Quarum personarum proprium sit calumniari? Dictum fuit: Causidicorum, Aulicorum, & Invidorum: hæc enim tria genera hominum (iustis tamen, & piis semper exceptis) sunt tres fontes, è quibus prodeunt Calumnia. Causidicorum nomine veniunt Litigantes, eorum Procuratores ad lites, & Advocati. Hi, ut plurimum, lucri causa, calumnias seminant. Hinc utroque jure statutum, ut eorum quilibet jurare debeat in principio litis de calumnia vitanda, l. 1. §. fin. C. de Juram. propt. calumn. cap. 1. Extr. eod. tit. Quòd quidem juramentum calumniae continet quinque capita. 1. Quòd jurans cre-

dat, se bonam causam habere. 2. Quòd interrogatus, respondebit cum veritate. 3. Quòd non utetur scienter falsa probatione. 4. Quòd dilationes non peret in fraudem. 5. Quòd non dedit, neque promissit, nec dabit, neque promittet aliquid pro causa, nisi quibus leges dare permittunt. Pellegrinus in Praxi Vicar. par. 2. sect. 2. subject. 2. Lancellotus in Canonic. Instit. lib. 3. tit. 12. §. 1. & ibi Aloys. Riccius, qui ponit hos Versus: Illud juretur, quos lis sibi iusta videtur. Et si quaeretur, verum non inficietur. Nil promittetur, nec falsa probatio detur. Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.

Sed in nostro foro, & hinc temporibus, juramentum calumniae non est in usu; nec sine causa, videlicet, ne litigantes, & causidici, calumniosè agentes, fiant etiam perjuri. Speculator in §. Nunc dicamus, hoc. tit. Abb. in cap. 1. eod. Alterum genus est Aulicorum, à quibus solent prodire calumniae, ut enim Principis, vel Domini, cui serviunt, affectum occupent, calumniis deiciunt quos eidem charos agnoscunt. Testatur id de se ipso S. Bernardus spoliatus ab Aulicis calumniatoribus benevolentia Innocentii Papæ Secundi, quem defenderat fortiter contra Schismaticos; scribens enim ad eundem Epist. 218. ait: Cedat jam, si placet, manifesta indignatio veritati: nec mihi deinceps frons rugetur, aut supercilium deponatur. Et quòd magis est, privatus gratia sui prædilecti Eugenii Terti de quo Epist. 306. ita scripsit ad Cardin. Hostien. Benedictus Deus, qui & hoc quòd dederat, & de quo mihi, forè immoderatus blandiebar, solatium ante exitum tulit, vestram scilicet, & Domini mei (Eugenii) gratiam: ut vel proprio experimento discam, non ponere spem meam in homine. Alexandri Macedonis Philippum Medicum calumniati sunt Aulici, dum eidem Regi infirmo medicinam præbebat; etsi Alexander certus de Medici fidelitate; poculum sumens calumniatorum litteras dedit illi legendas, ut refert Quintus Curtius lib. 3. Ambrosium Marianum Nobilem Bituntinum, Equitem Melitensem, Philippi II. Regis Catholici summa laude Aulam sequentem, calumniosè de homicidio accusatum, biennio stetit in obscuro carcere, donec falsitate testium cognita, innocens repertus fuit, scribit Hieron. à Basilicæ petri in suis Metamorphos. Sacris Centur. 2. Convers. 81. Tertium genus est Invidorum, à quibus generantur calumniae; cum enim Invidia sit Tristitia de alieno bono, in quantum propria excellentia est diminutivum. S. Thomas 2. 2. quæst. 36. art. 1. statim ac Invidi vident aliquem excellere in aliquo bono vel natura, vel gratia, vel fortuna, propter quòd arbitrantur se inferiores, confugiunt ad componendas calumnias, ut illam personam, se excellentiorem, deiciant, juxta illud: Et vidi calumnias, quæ sub sole gerunt, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem. Eccl. 4. 1. Hinc plenæ sunt Historia Sacra, & profanae horrendis exemplis, quibus innocentes impetiti fuerunt à Calumniatoribus, scientibus, quòd Calumnia conturbat Sapientem, & perdet robur cordis illius. Eccles. 7. 8. Ariani subornarunt mulierculam, quæ accusaret S. Arbanasium (in Concilio) quòd hospitio acceptus sibi stuprum per vim intralisset. Sed cognita fraude, rejecta est mulieris impudentia. Breviar. Rom. 2. Majest. 4. Boleslaus Rex Poloniæ in solenni Regni Conventu S. Stanislaum per calumniam in iudicium coram se vocari curat, tanquam pagum occuparet, quem Ecclesia sua nomine coemerat. Sed mirè resuscitatus à S. Stanislaio Petrus venditor, de

De agro à se vendito. Et pretioris sibi ab Episcopo per-
soluti testimonium dixit, atque iterum in Domino ob-
dormivit. Lest. 5. Breviar. Rom. die 7. Maii.
Genovesa filia Ducis Barbantia, nupta Sifrido
Romani Imperii Palatino, eo militante contra
Turcas; provocatur à Gelone, Gubernatore,
sibi relicto, ad amores turpes. Sed eo con-
stanter rejecto, accusatur apud Maritum calu-
mniósè de adulterio, qui nimis credulus pudi-
cæ uxoris mortem decrevit, at ab executoribus de-
creti, pietate motis, ea viva cum filio in sylvis
relicta, in antro per sex annos, & tres menses im-
morata, Cervæ lacte nutrita, à marito venante
tandem reperitur, cuius vultus maiestatem, &
pulchritudinem admiratus, intellecta ejus inno-
centia, atque Gelonis calumnia detecta, cum la-
chrymis illam, ac filium amplexatus, reversus
ad Regiam; à quatuor Tauris Calumniatorem
decerpere in quatuor partes fecit. Alexander Spe-
rellus de Prot. Deip. serm. 3. Ursulam Benin-
casa calumniati sunt cognati, quòd veneno Pa-
trem, à quo hæres locupletis facultatis erat insti-
tuta, necare tentasset. Illa sponte cessit hæredi-
tati. Calumniatores facti sunt hæredes, sed
tot, ac talibus vexati litibus fuerunt, ut bonis
hæreditariis, ac suis propriis spoliati remansere
in penam calumniæ. Ex ejus Vita lib. 1. cap. 5.
Matthæol. in Sylva Hist. lib. 6. cap. 1. tit. 47.
Exemp. 2.

Quò ad Tertium. Quanta sit excellentia Advoca-
torum? Ne videamur calumniari Advocos
pietatis, & justitiæ cultores, dum nonnullorum
calumnias deestamur, sciendum est, officium
Advocati commendari l. Landabile. C. De Advoc.
divers. Jud. his Verbis: Landabile, vitæque homi-
num necessarium. Advocationis officium, maxime prin-
cipalibus præmiis oportet remunerari. Et jure qui-
dem, nam Angelicum est Advocationis munus,
cùm à Deo optimo Maximo Angelos Advocos
nobis datos habeamus, canente Ecclesia:

Custodes hominum psallimus Angelos,
Natura fragili quos Pater addidit
Cælestis comites, insidiantibus
Ne succumberet Hostibus.

Ac excelsissima Cælorum Imperatrix, Dei Mater
alma, atque semper Virgo MARIA non dedi-
gnatur vocari, & esse Advocata nostra. Imò hoc
pium officium exercendum sumpsit Divinus
ejus Filius, Redemptor noster, de quo Testatur
Joannes: Advocatum habemus apud Patrem JE-
SUM CHRISTUM justum. 1. Joan. 2. 1. Nec
non Sanctissimæ Triadis Persona Tertia, dicen-
te Apostolo Paulo: Ipse Spiritus postulat pro nobis
gemitibus inenarrabilibus. Apud Romanos Advoca-
care consueverunt Consulares, & primi homi-
nes Reipublicæ, Cato, M. Antonius, Crassus,
Hortensius, Julius Cæsar, & Cicero; imò ipse
Cæsar Augustus Imperator, imploratus à quo-
dam milite, Descendit in ejus advocationem, veritus
ne non modò superbus, verum etiam ingratus videretur;
ut scribit Auctor Apophthegm. Nemo est, qui
ignoret, Advocos defensores esse Civium, &
eorundem rerum; ab Advocatis protegi tum di-
vites in litium anfractibus; ideòque Rempubli-
cam indigere æqua lance militibus ad externos
hostes repellendos, atque Advocatus ad inter-
nam pacem conservandam, ut habetur in l.
Advocati. C. de Advoc. diu. Judic. & probat S. An-
tonius 3. part. tit. 6. cap. 1. & Homobonus part.

2. de Statib. cap. 5. Quare præter alia Advoca-
torum Privilegia, & excellentes laudes, quas
cumulat. Tiraquell. in lib. de Nobilit. capit. 29.
illa est celebris resultans ex leg. 1. cit. tit. C. de
Advoc. videlicet, quod Advocati etiam depositi of-
ficio in clarissima dignitate sunt constituti.

Quò ad Quartum. Quæ boni Advocati sint
requisita? Supradicta encomia adaptantur Advoca-
tis quatuor habentibus requisita; videlicet Sci-
entiam, Justitiam, Pietatem, & Fidelitatem. Re-
quiritur Scientia in Advocato, ut Canones, &
leges intelligat, & clientulis consulere, eorum-
que jura producere, & rationes tueri valeat.
Olim enim Advocati vocabantur Juris Oracula,
& justitiæ Sacerdotes, ut scribit S. Ambros. Epist.
30. ad innuendum, eos non posse ignorantia ulla
detineri. Hinc Advocatum ob propriam insci-
tiam perdentem clientuli causam teneri ad sol-
venda damna, & omnes expensas eidem clien-
ti, docet S. Thomas 2. 2. quest. 71. art. 2. Feli-
nus in cap. Sciscitatus, num. 11. de Rescript. Syl-
vestr. Verb. Advocatus quest. 24. Sayrus lib. 12.
Novissimè P. Joan. Tuba Servita in Curru peccati
quest. 4. cap. 5. num. 309. Prout etiam peccant
mortaliter Collegii nostri Patavini, toto terra-
rum Orbe celeberrimi Patres, & Doctores, qui
ad Lauream Utriusque Juris admittunt imperi-
tos, ut notat Glossa in Clem. 2. Verb. Honorem.
De Magistris. D. Antonin. 2. part. tit. 3. cap. 5.
§. 6. Et Reginaldus in Praxi lib. 25. num. 668.
Requiritur Justitia in Advocato, qua adigitur,
non suscipere causam injustam defendendam,
sed justam tantum; siquidem secundum Quinti-
lian. lib. 12. cap. 1. Orator, idest Advocatus, est
vir bonus dicendi peritus. Hinc si defendat inju-
stam causam sive ad vincendum, sive ad protra-
hendum, sive ad vexandum colligantem, ut
se componat cum detrimento, peccat mortaliter,
& tenetur ad restitutionem tum damni, tum ex-
pensarum, quas passus est Adversarius. Bona-
cina tom. 2. in Octavum Precept. Decalog. dispnt. 10.
quest. 3. punct. 4. num. 6. Reginaldus dist. lib. 25.
num. 671. §. 672. ubi advertit, Advocatum dis-
positum, quascunque causas sive justas, sive
injustas suscipere defendendas, esse in continuo
statu peccati mortalis, & incapacem Sacramen-
torum, atque Sacramentalis absolutionis. Lay-
man. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 2. num. 18. Joan.
Tuba dist. quest. 4. cap. 5. num. 312. Et ideò Ad-
vocatus, qui cognoscit causam injustam, tene-
tur illam deserere, & clientem de injustitia ad-
monere; non debet autem adversarii ejus tute-
lam sumere, nisi esset in extrema necessitate, ces-
sante scandalo, & admonito primo cliente, ut
desistat ab injusta vexatione; alias ipse defenderet
contrariam partem. Reginaldus ubi supra num.
674. Quod si causa esset dubia, & hinc inde
reperirentur doctrinæ, & scriptorum opiniones,
fas esset Advocato illam tueri, admonito clien-
tulo de dubietate. Joan. Tuba dist. quest. 4. cap.
5. num. 310. in fin. Layman. dist. lib. 1. tract. 1.
cap. 5. §. 2. num. 20. & Reginaldus dist. lib. 25.
num. 673. Nunquam autem poterit Advoca-
tus producere Scripturas falsas, veritatem ne-
gare, Testibus, vel Juramentis falsis assensum
præbere, aut inutiles, & superfluas dilationes pe-
tere, absque dispendio animæ suæ. S. Thomas
2. 2. quest. 71. art. 3. Reginaldus dist. lib. 25.
num. 670. ubi concedit, occultare scripturas,
quæ sui clientis causæ præjudicarent, dummodo
aliàs

alias justam causam foveat. Requiritur Pietas in Advocato, quæ operetur, ut gratis defendat pauperes, & existentes in extrema necessitate exemplo Sancti Ivonis, de quo *Martyrolog. Rom.* 19. Maij imò patientissimi Jobi, qui ex nimia animi sui pietate tuebatur afflictos, itaut dicere potuit de se ipso: *Oculus fuit cæco, & pes claudō: pater eram pauperum. & cor viduæ consolatus sum.* Job. 29. 15. Sæpè enim viduarum, & egentium causæ pereunt deficiente pietate Advocatorum, qui cessantibus sportulis recusant patrocinium impertiri, juxta illud Ovid. *Epist.* 29. *Optimam nullo causa tuente peris.* Undè laudandi sunt Advocati, qui ob remunerationem habendam in coelis, gratis patrocinantur miserabilibus personis, atque piis locis. Ulterius pietatis christianæ specimen est in Advocatis non inhierere pecuniis, & honestam mercedem gratam habere; abstinendo à quota litis, quæ est in Jure prohibita. *l. Sumptus. ff. de pactis. Farinac. quest.* 106. *Durand. de cl. 53. & decis.* 358. *in fin.* Eminentiss. Card. de Luca *in relat. Rom. Cur. Forens. discurs.* 46. num. 47. ubi notat, indignum reputari ab Advocatis Romanis, aliquid petere à Clientibus. Illicitum quoque, & injustum est exorbitantes sportulas prætere, vel exigere etiam à divitibus, nisi in causa gravissima, vel in casu magni laboris; aut nisi Advocatus sit magni nominis, & famæ ob eximiam doctrinam, seu facundiam in disputando; secus autem si sit de illis, de quibus Musa forensis cecinit:

Vir bene vestitus, pro vestibus esse peritus.

Creditur à mille: quamvis Idiota sit ille.

Si careat veste: nec sit vestitus honestè,

Nullus est laudis, quamvis sciat omne, quod audis.

Apud Romanos per legem Cinciam prohibitum 18 erat Advocatis mercedem recipere à Clientibus; & de se ait Plinius *Epistol.* 5. ad Valerian. *Me juvat, quod in causis agendis, non modo pacione, domo, munere, verum & xeniis semper abstini.* A Nerone Imperatore concessæ fuerunt sportulæ Advocatis, teste Svetonio *cap.* 17. & Tiraquell. *de Nobilit. cap.* 29. Ultimò in Advocato requiritur Fidelitas, quæ illum obligat servare rationes Clientuli sui factas, testas, & bene custoditas, ne adversarius dicat, vel defumat ex ejus ore argu- 19 menta ipsi Clientulo nociva. Ulterius abstinere debet à falsis legum allegationibus, vel earum incongruis interpretationibus; à sophisticis rationibus, seu argumentis, ne sit de illis, quos reprehendebat Sanct. Cyprian. *Epist. ad Donatum* dicens: *Utrobique grassatur mendacium, criminum prostituta vocis venalis audacia.* Item Sanctus Bernardus ad Eugenium subjungens: *Miror quomodo religiose aures tue audire possint huiusmodi disputationes Advocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad subversionem, quam ad inventionem proficiunt Veritatis.*

20 Quò ad Quintum. *Quæ sit mali Advocati, fors, & obligatio?* Jam dictum est, obligationem esse restituendi expensas, & damna tum sui Clientis, tum adversarii ejus, quem malus Advocatus vexavit injustè. Et quoniam pauci reperiuntur, qui male acquisita restituant; ideò fors mali Advocati est infernus, & æterna damnatio, ut probat eximium exemplum existens in Chronicis S. Francisci *Part. 1. Vol. 2. lib.* 10. 26. Quod de Verbo ad Verbum hic transcribere non me piget, etsi illud etiam retulerim supra *Decis.* 99. num. 7.

Frater Joannes de Parentibus, qui fuit primus Minister Generalis post Sanctum Franciscum, 21 ingressus est Religionem, adhuc ipso Sancto vivente. Hic homo erat Juris utriusque Doctor, & cum esset Judex in Civitate Castellana & oriundus ejusdem loci, quodam Vespere à fenestra suæ domus attentè observabat laborem cuiusdam porculatoris in compellendis porcis, ut stabulum introirent. Et audivit focium ejusdem porculatoris, dicentem illi: Si vis, ut ingrediar stabulum, dicito hæc verba, *Porci, porci intrate in stabulum eo modo, quo Advocati, & Judices intrant in infernum.* Quibus verbis prolatis, statim porci ingressi sunt stabulum absque rumore, & absque ulla porculatoris defatigatione. Hæc cum vidisset Judex, tactus magno Dei timore, dimisit officium, & ingressus est Religionem Fratrum Minorum unà cum filio suo, fuitque exemplarissimus in orationibus, & lacrymis, & tantæ austeritatis, atque penitentiae, ut factus Minister Generalis visitaverit totam Religionem nudis pedibus. Hucusque Chronica ordinis Sancti Francisci *Qui habet aures audienti, audiat. Matth.* 23. 9.

Quò ad Sextum. *Quæ sint peccata Procuratorum 22 in litibus?* Peccant Procuratores forenses in litibus, si scientiam non habeant sufficientem promunere suo; si debitam diligentiam non adhibeant in causa promovenda; si terminos superfluos obtineant; si fraudes, aut falsitatis committant; si usurpent sibi facultatem scribendi in Jure, & allegandi; si detegant crimina sui proximi, aut extorqueant indebitam mercedem à clientulis; vel eis egestate laborantibus auxiliari detrectent. Reginaldus *disc.* lib. 25. à num. 679 & sequentibus, ubi num. 681. notat, quòd Procurator, qui habuit Copias à Notariis parvo pretio, potest recipere justam summam, etsi majorem à Cliente, quando Notarii minori pecunia contenti fuerunt ingratiam Procuratoris, secus si ex mera liberalitate, vel intuitu Clientis.

Quò ad Septimum. *Quæ pœna sint statuta de Jure contra calumniatores in judicio?* In judiciis 23 criminalibus intentatis per calumniam, pœna præcipua contra calumniatores est pœna Talionis; sic dicta quasi *Talis ad Aequale*, quæ in hoc consistit, quòd Calumniator eadem pœna puniatur, qua innocens fuit punitus, vel fuerat puniendus, si crimen probatum fuisset, & non detecta calumnia. Hanc pœnam sancivit Deus in Deuteronom. *cap.* 19. 21. ubi dicitur: *Non misereberis testis mendacis: sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Et habetur in *cap. Quod debetur* 14. quest. 1. *cap. Sex differentie* 23. quest. 3. & *cap. Hæc autem vita.* 23. quest. 4. Eandem statuerunt leges Civiles, quas recenset Petr. Gregor. *Syntagm. Jur. part.* 3. lib. 31. *cap.* 10. nec non *cap.* 20. ubi advertit hisce temporibus pœnam esse arbitrariam contra Calumniatores; quod etiam docet Menochius *de Arbitr. Judic. cas.* 321. num. ult. Bossius *de Accusat.* num. 28. Bernard. Diaz. *in Praxi cap.* 68. & ibi Salzed. *in addit. num.* 6. & Thesaur. *de pœnis Ecclesiast. part.* 2. *Verb. Accusator cap.* 1. ubi ostendit, Calumniatores esse infames, & irregulares, ideòque hoc crimen in clericis mereri privationem beneficiorum; *ex Juribus, & DD.* ibidem allegatis.

Quò

Quo ad Octavum. *Qua sint Notariorum culpa?*

24 Nulla erit culpa in Notario, qui servet sequentia. 1. Si doctus sit, & sciat ea, quae spectant ad ejus officium, praecipue circa contractus. 2. Si diligenter ponat in regesto Instrumenta cum nota Diei, Mensis, & Anni. 3. Si abstineat ab omni falsitate, vel mutatione veritatis; nihil addendo, & nihil minuendo ex actis. 4. Si nulli det Instrumenta originalia. Si prompte det copias actorum, & neminem fallat in scribendis clausulis renunciationum. 6. Si testamenta non scripserit eorum, qui non sunt sanæ mentis; neminem induxerit ad nominandum heredem, quem non vult; & nullius occultaverit defuncti testamentum, seu codicillum, aliamve ultimam voluntatem. 7. Si Instrumenta non scripserit super illicitis contractibus, vel contra Ecclesiasticam libertatem. 8. Si contentus sit iusta mercede, & ea, quae gratis dari debet, absque pretio dederit. Quod si in singulis supradictis defecerit, peccabit mortaliter, & erit obnoxius restitutioni. Layman, lib. 3. tract. 4. cap. 4. num. 10. Joannes Tuba dict. quaest. 4. cap. 5. num. 305. Abelly de 8. Decalog. Præcept. §. 6. Reginaldus in Praxi fori Penitent. dict. lib. 25. a num. 684. & sequentibus & praecipue num. 690. ubi advertit, quod Notarius scribens Instrumentum usurarium incurrit excommunicationem per Clem. Unicam. De usuris; & nisi Usurarius restituerit usuras, Notarius tenetur ad illarum restitutionem. His addendum est casus reservatus in hac Patavina Diocesi, si intra bimestre Notarii non denuncient legatapia; prout etiam si supprimantur scripturae concernentes interesse Ecclesiarum.

26 Quo ad Nonum. *Qua sint Aulicorum crimina?* Nostrium non est inquirere crimina deservientium in Aulis Principum, & Prælatorum, nisi in quantum Confessariorum pro fit instructioni; docent enim Historiam tum sacræ, tum profanæ magnis laudibus extollendos esse Aulicos, utpote magnis excellentes virtutibus; adeo ut jure optimo Regina Saba dixerit de eis Salomoni. Beati Viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. 3. Reg. 10. 8. & scripserit Angelus de Perusio in Proam. Codicis, ideo Principes habere in pectore, tanquam in scrinio, leges omnes, atque Philosophiam; quia apud se tenent eruditissimos homines, cum quibus sive comedant, sive ambulent, sive secedant, alloquuntur. Hinc apud se voluerunt Cretus Rex Lidia Anacarsum Philosophum; Dionysius Rex Syracusarum Platonem; Reges Aegyptii Menandrum Poetam; Trajanus Imperator Dionem; Matthias Rex Hungariae Joannem Montemregium; Robertus Rex Siciliae Franciscum Petrarcam; & in presenti saeculo Cardinalis Albrandinus Pacem Jordanum Insula Traguriensis, & ter gemino opere insignem: Cardinal Ursinus Antonium Querengum: Cardinal Eminentissimus Herus BARBADICUS Nobilem Venerum Aloysium Canalem, qui Sapiens magnus fuerat in sua Serenissima Republica. Cardinal. Caracciolus Josephum Crispinum à secretis, & hodie Episcopum, qui in lucem edidit primò Scholam Sancti Philippi Neri, deinde tractatus inscriptos. Il Buon Vescovo, la Visita Pastorale. Et la Sacra Ordinatione. Idem Eminentiss. Præsul noster, quo tempore Bergomensis regebat Ecclesiam, inter ceteros bonitate, & litteris præclaros, Hieronymum à Basilica Petri. qui devotioni suæ, ac

animarum salutis deinde consulens, Neapoli Congregationi Oratorii addictus, Sacras Metamorphoses, nec non Sacras Ephemerides, Sanctorum scilicet actus, Vitas, & exempla, typis publicavit. Et, omiſſis aliis, Eminentiss. Cardinalis Petrus Basadona, ejusque obitu sequuto, Serenissima Christina Sveciæ Regina, Josephum Abbatem Capellarium Virum Musis Egregium, cujus Latina Poësis, Regum, & Principum munificis testimoniiis laudata, & probata, ejus cultumque per artes petitis Apollineas, ingeniumque ferax, satis demonstrat.

Ceterum (ut quaesito satisfaciamus) Adulationis, & Sufurationis communis opinio Aulicos criminatur. Adulantur enim Dominos suos, non quæ vera, sed quæ grata promentes, instar Torquati Romani, vinum Album nauseantis, cum Aurelium Imperatorem, Herum suum, à Vini albi potu videret abstinentem. De his Catechismus Romanus super Oct. Præcept. sect. 11. ita loquitur: Peccant in hanc partem blandi homines, & assentatores, qui blanditiis, & simulatis laudibus influunt in aures, & in animos eorum; quorum gratiam, pecuniam, & honores aucupantur, dicentes, ut est apud Prophetam, Malum bonum, & bonum malum. Isai 5. Hos canere fecit Poeta.

Pazzo chi al suo Signor contraddir vuole

Se ben dicesse, che da mezo giorno.

Visto hà le Stelle, ea meza notte il Sole.

Sufurrant postea in aures Dominorum, calumniantes conservos, ut eos odibiles, seipsos amabiles reddant; scelus mortalissimum juxta S. Thomam 2. 2. quaest. 74. art. 1. & contra tales Aulicos invehit Oraculum divinum dicens; Denotatio pessima super bilinguem: sufurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia. Eccles. 8. 17. Causant enim hi Sufurrones, & Aulici calumniatores, ut benemeriti homines præmia fidelis servitutis perdant, testante Illustrissima Poetria Victoria Columna.

Altri nelle gran Corti consumando.

Il più bel fior de' lor giovenil anni.

Mentre utile, & onor van ricercando,

Sol ritrovano invidie, oltraggi, e danni.

Quocirca Seneca lib. 2. de Ira cap. 8. de his ita scribit: Nulli, nisi ex alterius damno, questus est. Felicem oderunt, infelicem contemunt; majores gravantur, minores graves sunt. Et paulo post de Aulicis subdit: Ferarum iste conventus est: nisi quod illa inter se placida sunt, morsuque similibus abstinent, hi mutua laceratione satiantur.

Quo ad Decimum. *Qua sint Invidorum flagitia?* Notandum, quod invidere est tristari ex prosperitatibus bonorum: indignari est tristari ex prosperitatibus malorum. Aristot lib. 2. Topic. cap. 2. num. 6. Et ideo bene ait S. Ambr. lib. 2. off. c. ult. quod improbus suo delectatur bono, invidus vero torquetur alieno: nam invidi videre non possunt eos, qui bona possident; unde S. Jo. Chrysost. Homil. 44. ad Popul. subdit, Invidos esse peiores feris, Damonibus autem pares: feræ etenim mansuetæ sunt cum sibi benefacientibus; invidi nequaquam, sed semper crudeles, & similes Damonibus immanissimi in cruciandis illis, à quibus majora receperunt obsequia. Imò peiores, quam Dæmones, qui inter se non digladiantur, sed invidineque cognatis, neque propinquis, neque amicis parcunt. Igitur in invidio reperitur quodcunque flagitium; nam invidia est summa malitia ex directo opposita Di-

vinæ bonitati, ejus proprium est bona dare; & ideo in Evangelio Dominus dixit: invidio operatorio; Numquid oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Matth. 20. 15. assimilando nequitiam invidiæ oculo, qui affligitur, si sit infirmus, pulchritudine lucis, quæ quouscunque velatificat. Proccedit autem Invidia à radice superbiæ; superbus enim est omnis invidus, quapropter Lucifer, ob revelatam Divini Verbi Incarnationem, cognoscens, humanam naturam esse sublevandam super Angelicam, ægrè tulit tanquam superbus, & voluit potius Cælum deferere, & abyssos ingredi, quam excellentiam humani generis intueri. Hinc plures Dæmones relictos in

30 aere, qui videntes animas nostras evolare ad gloriam, ex Invidia cruciantur, testantur Theologi, quorum meminit Eminentiſſ. Cardin. Sfortia Pallavicinus Tract. de bono lib. 1. cap. 43. num. 3.

31 Quò ad Undecimum. Quibus argumentis deterrendi sint Calumniatores? Confessarii, & Concionatores retrahent homines calumniatores ab hoc execrando vitio, comminando iisdem Divinam ultionem. Siquidem Simulatores, & calidi provocant iram Dei, Job. 36. 13. idcirco calumniatores in præſenti vita cito peribunt, juxta illud: Noli emulari, ut maligneris: quoniam qui malignantur, exterminabuntur. Psal. 36. 8. Eorum industria pro gradibus; & dignitatibus consequendis, evanescunt; Deus enim humiliabit Calumniatorem, Psal. 71. 4. In futura vita carebunt æterna gloria; scriptum est enim: Neque habitabit juxta te malignus. Psal. 5. 6. Sed iisdem serio consideranda, & exponenda erunt ſequentia Verba Spiritus Sancti, Prov. 6.

32 16. Sex sunt, quæ odit Dominus, & Septimum detestatur anima ejus. Oculos sublimes. Linguam mendacem. Manus effundentes innoxium sanguinem. Cor machinans cogitationes peſſimas. Pedes veloces ad currentum in malum. Proferentem mendacia. Testem fallacem. Et eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias, idest Calumniatorem. Comprobanda etiam hæc veritas ſequentibus exemplis.

Valens Imperator habuit Aulicum calumniis deditum, qui cum virum juſtum calumniatus eſſet, paraturus balneum pro Imperatore prædicto, mens ejus defecit, cecidit in balneum, & in illo ſuffocatus remanſit. Theodoretus in Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 6.

S. Gregorius Episcopus Agrigentinus fuit calumnioſe accuſatus à quadam ſcæmina deſtupro; quod cum illa aſſeveraret in judicio, in vaſa fuit à Dæmone, à quo in terram dejecta cruciabat; at expulſo Dæmone per orationes, & adjurationes ejusdem S. Gregorii, ipſa mulier confeſſa eſt ſuum mendacium, inſtigantibus adverſariis ejusdem Sancti commiſſum. Surius ex Metaph. die 23. Nov.

Conſtantine Copronimus Imperator Icono-

claſta S. Stephanum Monachum, deſenſorem Sacrarum Imaginum, carceri mancipavit; eumque calumnioſe accuſare fecit à pediſſequa Annæ Viduæ, nobiliſſimæ Matronæ, quæ ſua bona pauperibus diſtribuerat, & habitum Religionis ſuſceperat. Hæc innocentiam ſuam, Sanctique Stephani, ut tutaretur, rigoroſa tormenta eſt perpeſſa. Maritus datus fuit accuſatrici, in præmium ſuæ iniquitatis, quæ grævida effecta, duos tandem peperit gemellos filios; quos cum ad mamillas lactandos admoviſſet, ipſi morſibus eaſdem laceraverunt, & impia Mater ex nimio dolore è vita deceſſit. Card. Baroniſ Anno 762. & 763.

Betteleus Aulicus Cunthramni Regis Francorum calumniatus fuit de falſo Aulregiſſimum Mapparium ejusdem Regis, qui ut experiretur, uter innocens eſſet, julit, eos in duellum deſcendere pugnaturos. Interim calumniator Betteleus aſcendit equum, à cujus ſubita ferocitate in terram projectus, & calcibus impetitus, miſere expiravit. Aulregiſſimus, aula relicta, clericalem vitam aſſumpſit, & factus Biterigenſis Episcopus pie vixit, & ſanctè obiit. Hieron. à Baſilicæ petri in Metamorphoſ. Sacra. part. 4. Converſ. 46. ex Philippo Labbæ tom. 2. Bibliothec. ſccl. 2. Exempla alia plurima conſimilia Parochi extrahent, legentes Mattheoli Sylvam Hiſtor. lib. 6. cap. 47. & cap. 48. P. Stephani Menochii Hiſtor. Sacra. part. 1. ſ. 84. ſ. 426. ac par. 2. ſ. 398. & ſ. 412. P. Bagattam in Admirandis Orbis Chriſt. lib. 1. cap. 3. à num. 9. & ſeqq. Et Hieronym. à Baſilicæ petri in Ephemerid. Sacris die 28. Martii num. 2.

Quò ad ultimum. Quibus argumentis ſint confortandi patientes calumnias? Diſtum fuit, alia eſſe argumenta Spiritualia, alia Prudentialia. Prima ſunt ſequentia. 1. Spernere calumnias; Deo & bonæ vitæ ſuæ ſidendo. 2. Conſiderare, quod Divinus honor blaſphemiis, & injuriis continuo lædatur; nil mirum ſi ſimplicis hominis, cujus honor infinities minoris eſt momenti, laceretur. 3. Ponderare, verum honorem conſiſtere in bonitate, & chriſtianis actibus. 4. Credere, quod ſicut calumniatores Deus punit, ita innocentes locupletat, & exaltat juxta illud; Non vidi juſtum dereliſtum, nec ſemen ejus quærens panem. Psal. 36. 25. & alia argumenta ponit P. Arſdekin. tom. 3. part. 5. cap. 2. ſ. 11. & ſ. 12. Altera ſunt Prudentialia, deſumenda ex Epist. 74. Senecæ, in qua Aulicos edocet methodum, & formam tolerandi mundanas viciffitudines, eorum durante ſervitute; de qua Alcianus Emblem. 87. ita cecinit:

Vana Palatinos, quos educat Aula Clientes,
Dicitur auratis neſtere compeditibus.

Aliud documentum ejusdem Senecæ ponit Callepinius in Verb. Aula, ab Aulicis ibidem legendum, atque ſervandum.

F I N I S.

Index